

tulit, quod postea per tres dies atque noctes continuo dolore lugere non cessavit, ut in vita, 29. apr. Id cogitant enim non quando sed quantum offenderint. Unde Divus Ambrosius, in Psalm. L. « Insuper, ait, delectatur erroribus suis, et novis vetera obumbrando peccatis, se existimat adjuvari. At vero sapiens adversum se iudicat esse delictum suum, et tamquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum, adversantiam modo sibi arbitratur obsistere. Quidquid personuerit, quidquid increpauerit, culpa ei propria semper recurrit: quidquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat, etc. » Jure autem hoc fit, quia peccata tribulatione velut nitro et lixivio eluenda atque expianda sunt. Neque minus sentiunt, sed æque amaro animo peccata aliena. « Mos enim est, ait Sanctus Chrysostomus, homilia XXIX. in Genes. prophetarum et justorum omnium, non solum pro his dumtaxat dolere, qui sibi proximi sunt, sed etiam pro reliquis omnibus. » Quod exemplis Isaïæ, Jeremiæ, Ezechielis, aliorumque declarat. Satis nobis sit David, qui ait Psalm. CXVIII. *Vidi prævaricantes et tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt.* Vidit inter alios prævaricantem et pereuntem rebellem filium Absalon, et calidissimis lacrymis ei parentavit, quemadmodum et Sauli. Viderunt etiam filii ejus fratrem Absalonem immani paricidio sævientem in Ammonem, idque nuntiantes patri: *Levaverunt vocem suam et fleverunt. Sed et rex et omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis.* II. Reg. XIII. Unius ergo peccatum multos affligit. Unde Sanctus Augustinus, in sententiis, num. CXXII. ait: *Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios: quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet justum alieni peccati iniquitas, quantum a sua recedit.* Hæc enim est vis zeli et charitatis, ut instar ignis etiam proximos inflammet.

V. Ex ærumnis, miseris, plagis et calamitatibus hujus vitæ quæ fere peccatum consequuntur, partim originale, partim actuale, et proprium et a nemine evitari queunt. Quocirca Ptolomæus, ut habetur in præfatione Almagesti, inter alias regulas, hanc tradidit: *Qui in mundo permanere voluerit, cor patiens adversitatibus præparet: et Menander: Necessè est mortalem multa perpeti mala: et Seneca, libro de beata vita, cap. XV. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est.* Denique Solon Cræso regi ditissimo beatum se æstimanti dixit: *O Cræse, homo est quædam gravis calamitas. Quare ante mortem nemo beatus censendus est, ægre hoc audit Cræsus, sed id demum agnovit, quando captus a Cyro, et rogo adjudi-*

catus exclamavit: *Solon! Solon! Quam vera dixisti!* Herodot. lib. I. Testantur id ipsum vel elingues infantuli fletu suo, velut prima voce, cum nascuntur. Unde Augustinus, lib. XXI. de civit. *Infans non a risu, inquit, sed a fletu orditur hanc lucem, quia qui malorum ingressus sit, nesciens prophetat quodammodo.* Unus tantum Zoroastes, Bactrianus rex, quando natus est, risisse fertur, sed infausto omine; a Nino enim Assyriorum rege bello victus et tandem regno pulsus est, Plin. lib. VI. cap. XVI. Solin. libro IV. polyhist. E. contra infans alius quatuordecim diebus antequam nasceretur, plorare in utero matris auditus est, Maiol. in diebus canic. coll. IV. Alus Sagunti, quo anno ab Hannibale deletum est, Plin. lib. VII. cap. III. Quid, quod Jacob et Esau pugnabant inter se, in utero matris suæ, velut futuri sibi semper contrarii, Genes. XXV. Ad hæc S. Augustinus, I. confess. cap. VII. *Vidi ergo et expertus sum, inquit, zelantem parvulum: nondum loquebatur et intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum.* Sed hæc miseris communes sunt justis, et injustis. Nunc de justis solum agimus, qui præter communes illas plagas experiuntur communiter peculiare alias, quibus a Deo exercentur. Ad illos spectat Psalmus ille LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* De cœlesti beatitudine tractans, titulum gerit, *pro torcularibus*, hoc est, tribulationibus, per quas ad illam patriam ascendunt. Quod expendens Divus Augustinus ad eum locum: « Uva et oliva quamdiu pendent in fruticetis suis, libero aere perfruuntur, et nec uva vinum est, nec oliva oleum, ante pressuram. Sic sunt ei homines, quos prædestinavit Deus, antequam accedant ad servitum Dei, fruuntur in hoc sæculo tamquam deliciosa libertate, velut uvæ et olivæ pendentes. Sed accedens quisque ad servitum Dei, ad torcularia se venisse cognoscat: contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc sæculo pèreat; sed ut in apothecas defluat. » Quasi una scilicet tribulationis via certissima sit ad beatitudinem acquirendam; imprimis vero terenda viris justis et Deum timentibus. Job *vir simplex et rectus ac timens Deum recedens a malo* quantis calamitatibus velut in torculari pressus est, ubi serio Deo servire cœpit? Tobias nonne postquam piis operibus gnæviter incubuit, et spretis regis minis mortuo sepelivit, fatigatus quoque a sepultura domum aliquando rediens jactavit se juxta parietem et obdormit, ecce hirundinum stercora incidunt in oculos ejus ipsumque excæcant? Tob. II. Hæcne diceret aliquis, merces erat tam piorum operum? Tam sanctæ lassitudinis? Nimirum uva et oliva erat, premi itaque debuit, ut velut

vinum pretiosum in apothecam Dei deflueret.

Vidimus, auditores, qualenam sit regnum cœlorum, quod in hodierno evangelio proponit nobis Christus: via, inquam, non terminus; et quidem via dura, sinapi et fermentum. Non ergo existimemus, nos jam in regno cœlorum esse, ubi Christiani esse cœpimus: in porta adhuc hæremus, via adhuc longa et aspera emetienda superest. Ludovicus XII. Francorum rex dicere solebat: *Ne visis templorum pinnis, iter te confecisse dicas*, apud Delrium, in Adagial. ff. adag. CCVI. q. d. *ne gloriatur accinctus æque ac discinctus*, III. Reg. XX. Diu adhuc pugnandum, multum adhuc sinapis et fermenti devorandum, quia *grandis adhuc restat via*, quæ tamen si in ea fortiter perrexerimus, ducet nos ad regnum cœlorum, quod est beata illa et cœlestis patria nostra.

## CONCIO IV.

CUR PER ASPERA ET AMARA EUNDUM SIT IN COELEM.

Per sinapi et fermentum ad cœlum eundum. — I. Ne viatores ex hoc exilio patriam sibi faciant. — II. Ut cœlo digni fiant. — III. Ut cœlum meritis obtineant, et possideant velut suum. — IV. Ut dulcior eis fiat gloria cœlestis.

## THEMA.

*Simile est regnum cœlorum fermento.* Matth. XIII.

Mira olim fuit consuetudo apud Persas, teste Plutarcho Artaxerxe, qua illorum rex jam inaugurandus calicem haurire lactis acidi debebat; postea primum regiam stolam et sceptrum capessebat. Ex hodierno evangelio manifestum fit, quod similem ritum servet Christus cum illis, quos in cœlo exaltare et reges vult creare. Asserit enim regnum cœlorum simile esse grano sinapis et fermento, hoc est, parandum esse delibatione grani sinapis et fermenti. Quæ duo secundum D. Hieronymum, Ambrosium, Bedam et alios, significant doctrinam evangelicam, magna ex parte certe acrem et amarum. Quid acrius grano sinapis, quod hominem accendit et lacrymas extorquet: quid amarius fermento, quod vel ideo nostra lingua appellamus massam acidam. Non voluit Dominus noster imitari morem cauponum qui pretiosa quidem vina promittunt et offerunt, pretium vero grande occultant, usque dum rationes et quidem rigidas exigant cum terrore potatorum; sed e contra primo pretium cœli indicat, amarum id esse asserens, velut est sinapi et fermentum; quæ tamen amaritudo abunde compensetur cœlestis regni dul-

cedine. Sed jam interrogare libet quænam causa sit, quod per aspera et amara cœlum comparandum sit. Ergo causa indicemus.

I. Ne viatores ex hoc exilio facile nimis patriam sibi effingant. Cum enim magis præsentibus quam futuris bonis alliciamur, et malimus passerem in manu, quam aquilam in tecto; si præsens vita amaritie careret, pauci ea spreta ad futuram anhelarent. Quod si adhuc tam multi sunt, qui mundi hujus illecebris, tanto licet felle perfusi, inescati eligunt præsentia potius quam futura, exilium quam patriam; quid fieret, si mundus omni felle careret? Quare ut homo carni addictus ab hoc lacte avocaretur, ac solidos melioresque cibos alterius sæculi requireret, ærumnarum ac miseriarum felle Deus id permiscuit. *Faciant hoc*, inquit S. Augustinus, conc. II. in Ps. XXX. *nutricis mammotreptis* (hoc est, diu sugentibus) *ut aliqua amara ponant in papillis suis, quibus offensi parvuli ab ubere resiliant, et ad mensam inhiant.* Ita etiam Deus ut electos suos ab uberibus voluptatum hujus mundi abducat, perungit ea miseris et calamitatibus. Qua in re *notandum est*, inquit Procop. in c. XXI. Gen. *nullibi de impiis dici, ablactati sunt. Et plures filios*, inquit S. Ambros. ser. XIX. in Ps. CXVIII. *habuit Abraham; nullum ablactavit alium, quam Isaac.* Designant ergo ablactati electos, qui a sæculi voluptatibus velut uberibus abstrahuntur, ut cœlesti mensæ inhiant, juxta id Isa. XXVIII. *Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus*, hoc est, a puerilibus deliciis, a vita imperfecta et carnali avulsos, hos solos docebit sapientiam cœlestem. Simili ratione eduxit Deus Jacob e diutina servitute in terra peregrina et reduxit ad patriam. Servierat jam socero Laban annis decem et dilatus erat, ac cum dixit illi Deus: *Revertere in terram patrum tuorum, eroque tecum*, Gen. XXXI. huic igitur voci, ne aures ille ocluderet, immisit ei Deus canes, qui eum expellerent, filios imprimis Laban, qui ei obtrectarent opes, quas a patre suo tulisset, indeque potens evasisset: deinde ipsum Laban, qui non ita ut prius, æquis oculis eum aspiceret. Quæ cum Jacob animadvertisset, convasavit sua et subduxit se quam primum, rediitque in patriam solum. Hunc in modum Deus premit suos in hac mundi servitute et exilio, persecutionibus et calamitatibus ut spreti et vexati a mundi assedibus, eo derelicto et contempto anhelent ad cœlestem patriam.

II. Ut cœlo digni fiant, idque non otitando aut molliter cubando, sed laboribus sibi comparent. Nimis magna res est regnum cœlorum: Dei aula



et angelorum habitaculum est, non hominum mortalium; sicut aer avium, non hominum, terra hominum, non piscium regio est. Magnis ergo et heroicis virtutibus homini comparandum est, sudandum, algendum, pugnandum, si homo angelus fieri, et terrenum animal inhabitare cœlum velit. Quemadmodum enim David, priusquam a pastoreulo fieret gener regis, multa sustinere multaque in re certamina, primum cum Goliatho, deinde cum Philisthæis, eorumque centum capita afferre: deinceps etiam plurimas persecutiones pati debuit: ita qui Dei Filius et hæres, cœli civis et angelorum concivis esse cupit, tanto se bono dignum reddat, multa ardua pro Deo et tali sponso suo agendo et patiando. «In Boeotia, inquit Plutarch. de conjugal. præcept. sponsam aspharagonia coronant. Hæc enim planta dulcissimum ex asperrima spina fructum edit: et sponsæ non fugienti aut aspernanti quod primo insuavem se et difficilem ipsa præbet, mansuetam ac dulcem vitæ sociam se præbet. Qui vero primas virginum dissensiones non sustinent, nihilo saniores iis sunt, qui immaturæ offensi uvæ sapore, maturas aliis relinquunt.» Sponsa Davidis regia tulit sane ipsi spinas initio asperrimas: cur eas sustinuit! Ut postea coronam regiam sibi imponeret. Magnum nimis est fieri regem in cœlo ex terra homuncione. Per spinas igitur tribulationum dulcis illa corona comparanda est. Propterea Satan non contentus externi Jobi bonis, ipsam etiam pellem ejus exegit, eique detraxit, velut pretium illius vestis, quam in cœlo expectabat Job.

III. Ut cœlum promereantur et tamquam suum possideant. Non datur merces operario, nisi prius laborarit? Nec præda militi, nisi pugnarit? Hinc Severus imp. suis militibus hoc symbolum dedit: *Laboremus*: Pertinax vero imp. suis: *Militemus*, Æl. Spartian. et Jul. Capitol. in Pertinace. Non debet censi nostrum, quod labore nostro non comparavimus. Indicavit hoc subtili penicillo Deus, Ex. III. v. XVII. cum ait: *Dixi ut educam vos de afflictione Egypti in terram Chanaanæ, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, ad terram fluentem lacte et melle.* Sed cur omittit Gergesæos, quorum terram etiam tradidit Hebræis? Respondent Hebræi, quod hi sponte cesserint suis domiciliis, nihilque in eorum acquisitione laborarint Hebræi, ut in cæteris. Eandem ob causam non permisit Elisæus, ut rex Israel percuteret Syros, cæcitate divinitus immissa perductos in Samariam, eo quod non cæpisset eos gladio suo et arcu, IV. Reg. VI. Quin et hoc ipsum Deus clare ostendit, quando spolia urbis Hai permisit He-

bræis, Jos. VIII. urbis vero Jerichò nequaquam, sed anathemati subiecit, Jos. VI. Causa est, quia suis armis urbem Hai expugnarunt, non Jericho, cujus muros Deus evertit, Hebræis solum buccinantibus et septies eam circumeuntibus. Non ergo buccinantibus et choreas ducentibus, sed pugnantibus et vulnera excipientibus cœlum in prædam datur.

IV. Ut dulcior ipsis fiat gloria cœlestis, post gustatas amaritudines. Nemo enim satis æstimat dulcia, quantum sapiant, nisi quia expertus est, quam desipiant amara. Post laborem quies, post famem ac sitim cibus et potus, post hiemem æstas gratior est. Hinc Christus *favos post fella gustavit*, ait Tert. I. de corona militis, c. XIV. Certe etiam Laban noluit tradere servo suo Jacob filiam Rachelem, quam unam is expetierat, valde speciosam, priusquam acciperet Liam, lippam et deformem, unde ait: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias*, Gen. XLIX. non est etiam in cœlo consuetudinis, ut gloriæ pulchritudo detur ante laboris fœditatem. Imo nec in mundo viget consuetudo, ut præmia ante pugnam, merces ante laborem detur. Hinc illud poetic. *Dulcia non meruit, quia non gustavit amara.* Caupones qui decipere moliantur hospites, initio apponunt vinum optimum: *Cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est*, ut ait architriclinus, Jo. II. At non ita Christus, nec viri honorati sic agunt cum hospitibus; sed in finem servant vinum optimum et honorarium. Mundus cauponum observat stylum: hic delicias ibi pœnas apponit: contra Christus hic crucem, ibi gloriam: hic abstinentiam, ibi refectionem: hic absinthium, ibi nectar suavissimum; et quo magis aliquem diligit, eo magis illi prohibet et removet hujus mundi delicias, ut tanto magis delicietur et gaudeat futuris. Præclarum hujus rei exemplum est S. Hermannus, qui et Josephus ob singularem B. Virginis amorem ab angelo appellatus est, de quo familiaris quidem ejus amicus, in vita apud Sur. April. ita scribit: «Multigena Dominus flagella adhibuit, ut omnigenis postea in cœlo gaudiis afficeretur, multis et quotidianis ac pene continuis vexabatur morbis, debilitate stomachi, doloribus capitis, defectione cordis creberrima: demptis aliis sæpe supervenientibus ægreditudinibus. Affixit etiam eum Dominus non permittendo, ut corporis commodis, cibo, potu, equo aliquo profecturus, molli strato uteretur; ita ut sæpe esuriret et sitiret, nec tamen liceret ei sumere cibum illum et potum, quem expetebat. Erat sane omnibus non mediocri admirationi, quod viderent eum fame et siti laborare, nec tamen capere cibum et potum, quem ordo

sive institutum permittebat. Interdum fatigatum illum ex labore, extra monasterium agentem, amici ejus molliori lectulo fovere volebant, sed ille rejecto lectulo bene composito, in solis straminibus debilis cubabat. Rogatus quandoque quid causæ esset, quod eos lautiores et lectos molles tam imbecillus corpore non admitteret, paucis respondebat: Jesus prohibuit, vel: Jesus non permittit. Equo vel curru annis prope duodecim usus non fuit, neque in nive, neque in pluvia, non in æstu aut frigore, sed quamvis difficilia itinera pede conficiebat, exiguo scipione imbecilla membra sustentans. Fecisse autem id eum voluntate divina, ejusmodi exemplo didicimus. Ibat aliquando ad cortes Ecclesiæ nostræ assumpto fratre, ei valde familiari. Habebant autem duo, unum duntaxat equum, quem manibus ducebant. Cumque paululum progressi essent, ait Joseph: Vix possum ultra progredi, adeo lassus sum. Hortante eum fratre, ut equum ascenderet, respondit: Non possum. Attamen a fratre importune agente, tandem equum ascendit; sed paulo post tam graviter equus offendit, ut ægre posset a casu tueri. Itaque ait fratri: Nonne dixi tibi, non posse me equo subvehi? Tum frater: Quæso, inquit, denuo tentemus. Ascendit Joseph sed equus multo etiam gravius impegit, ita ut fratri diceret Joseph: Sine me ab equo descendere, ne deterius corruam. Admirans frater, et tamen quid ageretur ignorans, etiam tertio, ait: In nomine Domini periculum faciamus. Ego sustentabo te ne possis ex casu detrimentum accipere. Vix ille verba finierat, et cum equus vellet procedere, totus corruit, et sessor, licet fratre sustentante, vix illæsus evasit. Tum frater cernens se toties voto suo frustrari, obnixè rogavit eum, ut quid sibi hoc vellet, explicaret. Et Joseph: Crede mihi, inquit, Dominus Jesus prohibuit. Alioquin putas me non perinde ut alios, usurum, cibo, potu, equo, nisi Dominus vetuisset? Illo ergo jubente, hos ego peculiariter sustineo labores. Sic ille ad mortem usque Domini Jesu fuit constrictus legibus, ut ejus exemplo nec equis, nec curribus veheretur.» Frustra igitur sunt, qui per bonos dies ad cœlum aspirant. Sinapi et frumentum prius degustare debent, per acidi lactis haustum pervenitur ad cœli regnum. Verum uti fermentum panem, et sinapi cibos facit saposos: ita amaritudo hujus exilii dulcissimam nobis efficit cœlestem refectionem. *Malum est, malum est dicit omnis emptor: et cum recesserit, tunc gloriabitur*, ait Sapiens, Prov. XX. Sic et justi hoc exilium ejusque ærumnas accusant de amaritie: verum ubi aliquando inspiciant patriam illam, his æ-

rumnis emptam, tunc gloriabuntur et applaudent sibi: quod et nobis largiatur Deus benedictus.

## CONCIO V.

CONJUGUM OFFICIA INTER SE MUTUA.

Vir seminans, uxor pinsens adducitur, ut officium utriusque judicetur. — I. Vir quæ foris sunt, peragat: uxor, quæ domi sunt, curet. — II. Vir ad colendum agrum et alia, valde mane surgat. — III. Occupet se labore honesto. — IV. Disciplinam in domo conservet. — V. Vir alat conjugem et familiam. — VI. Sint concordēs. — VII. Vir graviora onera ferat, leviora uxori relinquat.

## THEMA.

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis.*

Matth. XIII.

Duas parabolas ad eandem demonstrationem proponit Christus, unam de viro, alteram de muliere; ut per utramque ostendat quantum creverit Ecclesia per Dei verbum ex minimis initiis. Hoc autem sicut alias sæpius (uti Luc. XV. de viro, qui perdidit ovem, et muliere quæ drachmam: rursum Matth. XXIV. *Erunt duo in agro, etc. Erunt duæ in molendino*) ita etiam hic fecit absque dubio ad honorem matrimonii, ne separaret, quos Pater conjunxit, uti observat Petrus Ravennas. Sed nec sine causa introduxit virum seminantem et mulierem pinsentem; non civem aut nobilem. Voluit enim insinuare conjuges tunc habituros regnum cœlorum, si vir in agro seminet, uxor domi panem pinsat, hoc est, si quisque suum officium faciat; quod hic exponemus.

I. Vir foris in agro est, cum seminat: mulier vero domi, cum farinam miscet, et panes parat. Hunc in modum vir, quæ foris sunt, graviora negotia curare: mulier vero, quæ domi sunt, minutiora debet, utpote sexus infirmior: quod docet Aristoteles, libro II. œconom. cap. I. Hinc Galenus XI. de usu partium, ait viro barbam seu pilos a natura in facie datos, non item mulieri; quia illum foris agere et cœli injurias sustinere, hanc domi manare decet. Ita Abraham sedit in ostio tabernaculi sui, Sara mansit intus in tabernaculo, quando excepit hospites angelos, Genes. XVIII. Idem insinuat Proverb. XXXI, cum de marito dicitur: *Nobilis in porta vir ejus, hoc est, in causis et negotiis forensibus, de uxore: Consideravit, Hebr. circumlustravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.* Non sunt ergo mulieres exemptæ a laboribus, ut pu-



tant aliqua, sed debent manum viro porrigere, et quæ domi saltem sunt curare. Ideo viri *ad-jutorium* vocatur. Quare formicæ instar omnes lustrent domus angulos, mores et actiones domesticorum observent, num otio torpescant, num crapulæ aut contentionibus vacent, num suum quisque officium faciat, ut redeunti domum viro rationem familiæ reddere queant. Tantum in hac re situm est, ut Sapiens dicat Proverb. XIV. *Sapiens mulier ædificat domum, insipiens extractam quoque manibus destruit.* Exemplo est Anna Gandala, quæ Uladislo regi Bohemæ et Hungariæ conjugii, sua industria abacum totum aureum instruxit, suppellectilemque omnem ex auro et argento præparavit, Dubrav. lib. XXIII. Contrarium de Ægyptiis scribit Pomp. Mela nempe: mulieres foris agere negotia et forum frequentare, viros intra domum pensa ducere: illas humero, viros in capite onera portare; quod quam absurdum sit, nemo est, qui non videat.

II. Vir ad colendum agrum valde mane surgat, ut det equis aut bobus pabulum, ut aratro eos jungat, et ad labores adducat: exemplo illius patrisfamilias, qui *exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, Matth. XX. Multo magis mulier, quia dum pinsit panes, vigilare, et quando is subigendus, quando in furnum mittendus, quando eximendus, continuo quasi attendere debet. Sapiens etiam illa mulier, Proverb. XXXI. *De nocte surrexit deditque prædā domesticis suis, et cibaria ancillis suis.* Hoc vero ob tres potissimum causas. Primo, ob corporis valetudinem quæ nimiosomno læditur, dum vitiosi humores, qui vigilia et exercitatione dissipantur. Secundo, ob temporis jacturam, et quidem pretiosissimi, quale est matutinum ad res omnes peragendas. Tertio, ob commoditatem et studium orationis, qua Deum mane salutare jubentur Christiani, ne vivant instar belluarum. Hinc manna olim orto sole liquefiebat, quare ante ortum solis colligi debuit: *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum solis te adorare*, ait Sapiens, Sap. XIX. Sic Job consurgens diluculo offerebat holocausta, Job I. David: *Mane astabo tibi et videbo*, ait Psalmo V. Tandem: *Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione et pro delictis suis deprecabitur*, Eccl. XXXIX. Neque solum pro delictis suis, sed pro tota etiam familia, quemadmodum Job fecit.

III. Vir occupet se labore honesto simul et lucrato, qualis est agricultura. Per hanc enim magis innocenter et sine aliorum injuria paratur

victus. Unde antiquis patribus fere in usu erat: per quam ex terra omnibus communi erimus victualia nostra, et in penum nostram devehimus. Taceo spirituales fructum quem inde metimus, dum in mundo hoc quasi in libro, beneficio creaturarum vel litterarum, cognoscimus ac legimus, quodammodo Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, juxta id Job XII. *Interrogajumenta et docebunt, et volatilia cæli, et indicabunt tibi, et loquere terræ et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris.* Quem in finem Isaac egressus est ad meditandum in agro, Genes. XXIV. Videmus enim omnes creaturas servire nobis, boves arare, oves vellera ferre, apes mellificare, aves canere et nidificare, terram fructificare, etc. Videmus divitias bonitatis divinæ, nostram vero indigentiam. Videmus sapientissimum architectum hæc omnia fecisse et mire conservare. Videmus Dei pulchritudinem in tam pretiosis creaturis. Non ergo occupet se rebus inutilibus, uti luso, conviviis, confabulatione; nec mere excensibus vivat, multo minus ex usuris. Uxor etiam non inutilibus et nugatoriis, aut curiosis actionibus se et filias applicet; sed utilibus ac honestis, uti lini et lanificio, acu et colu ac similibus; exemplo prædictæ sapientis, quæ, ut ibidem dicitur: *Quæsvit lanam et limum, et operata est consilio manuum suarum; consilio, id est, prudenti electione.* Sane etiam principum conjuges ac filiæ olim in lana ac lino sese occupabant, uti Augusti imp. filia ac neptis, jussu parentis, qui nec alia veste nisi domi suæ facta ab uxore, sorore, filia ac neptibus temere utebatur. Idem jussit suas facere Carolus M. tum ut otium vitarent, tum ut, si forte ad paupertatem redigerentur, eo labore se sustentarent. Eodem se nutriit, necnon pauperes multos S. Elisabetha vidua.

IV. Vir conserat agrum familiæ suæ, (nam servi solent arare et occare, sed agri dominus communiter serere velut magister) et a sentibus ac lapidibus expurget. Seminet autem granum sinapi, hoc est, severam in domo disciplinam conservet, exemplo Davidis dicentis: *Non habitabit in medio domus meæ, qui fecit superbiam, qui loquitur iniqua, etc.* Ps. C. Porro granum unum seminare sufficit, unum scilicet verbum objurgatorium; non multa nimis effundere decet, multo minus execrationes mille. Uxor vero, si vir nimium de sinapi spargat, si aspera nimis verba effundat, farinam aspergat et panes coquat. Hæc viri austeritatem mitiget sua suavitate, ejusque iram placet: sicut David sua cithara lenivit melancholiam et spiritum malignum Saulis: vident Abigail sua prudentia et modestia iram Da-

vidis. Sic Esther blanda oratione mitigavit furorē Assueri: sic B. Monica temperavit æstus et impetus sui mariti, asperi et iracundi, eumque prorsus in aliam viam mutavit, teste Aug. I. IX. conf. c. IX.

Denique, mores ejus quantumvis asperos ferat, nec iram ejus exasperet, quemadmodum de sapiente illa muliere dicitur Prov. XXXI. *Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitæ suæ*, viro scilicet suo, licet acerbo et iracundo. Sciat virum esse in domo, quasi in cithara infamam et gravissimam chordam, ad cujus tonum omnes aliæ minores chordæ attemperari debeant. Unde Proverb. IX. dicitur in Septuaginta: *A Domino aptatur (Græce attemperatur) mulier viro.*

V. Vir alat conjugem et familiam, eique de omni necessitate provideat, sicuti agricola, qui propterea agrum excolit, seminat et cæli injurias tolerat. Etenim mulier de costa viri facta est, ut vir eam nutriret velut membrum suum ac defenderet. Si quis te in latus ferire velit, brachium mox objicies. Mulier elatere viri est, ab eo igitur defendenda est. Non sint velut Batavi, qui tota die in tabernis sedent ac potitant, et relinquunt suas conjuges mercimonia tractare. Cæterum uxor etiam viro manum porrigat, ut de ipsa dici possit: Panem otiosa non comedit.

VI. Vir granum sinapi, amarum: mulier fermentum etiam amarum. Ille semen, hæc farinam tractet: quorum unumquodque idem in proposito significat: ambo occupentur circa panem parandum: ille semen in agrum, hæc panes in furnum mittat, sicque inter se concordet sint. Inter alia, quæ Deo maxime placere dicuntur Ecclesiast. XXV. est *vir et mulier bene consentientes.* Insinuat hoc illis etiam a gentilibus, dum in nuptiis semper impari numero faces accenderent; quia scilicet impar numerus dividi non potest, nisi alter alterum excedat, teste Plut. in problem. Celebrantur inter ethnicos, Albutius, qui cum uxore Terentiana 25. annis, et Rubrius Celer, qui cum Caia uxore annis quadraginta tres summa concordia sine ullo jurgio vixerunt. Quod si hoc poterant ethnici, cur non possint Christiani, peculiari gratia adjuti? Laudanda etiam concordia

Zachariæ et Elisabethæ, in idem nomen filii pulchre conspirantium: *Joannes est nomen ejus*, Lucæ I.

Conspirent etiam ambo in audiendo Dei verbo, quod indicat non obscure Dominus tam viro quam mulieri esse necessarium, si cælorum regnum adipisci velint; siquidem utrique suam parabolam proponit. Hinc ni fallor cum Samaritana petiisset a Christo: *Domine da mihi hanc aquam*, Christus respondit: *Voca virum tuum*, Joan. IV. quasi æquum sit, ut mulier non sine viro cælestem doctrinæ aquam accipiat, cum sint una caro. Quis non eget semente? Quis non fermentato pane? At hæc ipsa sunt, quæ denotant Dei verbum, omnibus necessarium.

VII. Vir aratro gravi terram, mulier farinam manibus subigat. Vir ergo quæ sunt majoris laboris onera, in se suscipiat: quæ sunt leviora, uxori relinquat; siquidem hæc a sinistro, adeoque infirmiore latere Adæ formata creditur, propter cordis vicinitatem, in quo amor sedem habet, ut docet Pererius, in Gen. Stultus et crudelis foret, qui majus pondus imponeret in debiliorem equum, minus in fortiorem, vel etiam in parem. Unde præceptum olim: *Non arabis in bove et asino.* Nihil melius saperet maritus si ipse sanus in asino sederet, mulierem pedibus iter facere cogeret. Contrarium fecit absque dubio, sicut et pingitur S. Joseph, fugiens cum sanctissima conjugem in Ægyptum. Similiter etiam Abraham, qui divertentibus ad se angelis, uxorem misit ad culinam ut tria sata farinæ misceret, et panes inde coqueret: ipse cucurrit foras ad armentum, et tulit inde vitulum, deditque puero ad coquendum, Genes. XVIII.

Habetis igitur conjuges breve quidem evangelium in dominica hodierna, sed doctrinis prolixus, in vestri gratiam a Salvatore propositum. Superest, ut inde suam quisque partem sumat, et vir quidem seminatore grani sinapis, mulier vero pistrici panem similem se exhibeat. Sic erit eorum conjugium simile regno cælorum; neque hoc dumtaxat, sed perducet eos etiam ad ipsum regnum cælorum, non quod hic jam militat, sed quod ibi triumphat.